



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 361. Usque Ad Annum 395

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1758**

**VD18 90117786**

§. 55. Amicitia inter S. Augustinum, & S. Paulinum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66032)

Sæculum IV. est. Eodem stilo composita sunt cœtera.  
A. C. 394. Duodecim Episcopos, qui Maximianum  
ordinaverant, nominatim, univèrsim ve-  
ro omnes Ecclesiæ Carthaginensis Cleri-  
cos, qui ejus ordinationi interfuerant,  
condemnarunt. Aliis Episcopis, qui ei  
manus non imposuerant, octo mensum  
spatium concesserunt, quo ad eorum  
Communionem redire possent, nempe  
usque ad 25. Dec. scirentque, hoc tempore  
elapso, non amplius esse recipiendos,  
sed semper pro damnatis habendos.

## §. LV.

*Amicitia S. Augustini, & S. Paulini.*

*I. Ret. 21.* Eodem ferme tempore, quo erat Pres-  
byter, S. Augustinus cum S. Paulino,  
post hæc Episcopo Nolano, amicitiam  
iniit, opera S. Alipii, nuper in Episcopum  
Tagastenum, in patria sua, electi. S. A-  
lipius ex commoratione Mediolanensi,  
dum ibi baptizatus est, nempe anno 387.  
S. Paulinum noverat. Comperta Pauli-  
ni conversione, eidem circa annum 394  
quinque libros S. Augustini contra Mani-  
chæos transmisit. Verosimile est,  
fuisse libros de moribus Ecclesiæ, de li-  
bero Arbitrio, de vera Religione, de utri-  
<sup>*Ap. Aug. ep. 24. ep. 25.*</sup> litate Fidei, & duabus Animabus. S. Pau-  
linus, gratias agens per Epistolam, simul  
a S. Alipio petebat, ut vitæ suæ historiam  
sibi conscriberet; huic Epistolæ & aliam  
ad-

adjunxit ad S. Augustinum, qua se ope-  
 rum ejus lectione mirifice delectari te-  
 statur, seque in preces ejus commendat;  
 utrique etiam panem per modum Eulo-  
 giæ, id est, Benedictionis, submittit. Tam  
 una, quam altera Epistola præfert no-  
 men Paulini, & Tharasiæ, seu Theresiæ  
 uxoris ejus, quæ unacum viro mundum  
 reliquerat. In Epistola ad Alipium S. Pau-  
 linus fratribus, qui in Ecclesiis, & Mona-  
 steriis Carthagine, Thagastæ, Hippone,  
 aliisque locis existunt, se commendat;  
 ex quo cognoscimus, quantum Professio  
 Monastica jam tunc in Africa fuerit pro-  
 lata. Dum S. Augustinus S. Paulino respon-  
 det, in sua Epistola inter alia dicit: *Non*  
*totum te in admirationem rapi patiaris*  
*ob ea, quæ per os meum veritas loquitur,*  
*ita ut ad illa, quæ ex me ipso dico, non*  
*attendas, ne dum cibum vitæ, quo alias*  
*pasco, postquam & ego accepi, avida men-*  
*te excipis, pro peccatis meis orare obli-*  
*viscaris.* Et deinde: *Verum est, quis*  
*neget? qui majora dona a Deo accepit,*  
*melior est, quam cui minus datum est, ve-*  
*rumtamen præstat Deo gratias agere pro*  
*dono mediocri, quam ob donum majus cu-*  
*pere ab hominibus laudari.* Postea vi-  
 tam Alipii ipse promittit, quam ut de se  
 ipso scriberet, S. hic Episcopus adduci  
 non potuerat; hanc Epistolam S. Augu-  
 stinus ferendam dedit Romaniano, anti-  
 quo

Sæculum IV.  
 A. C. 394.

Aug. ep. 27.  
 n. 4.

Sæculum IV. quo suo amico; hinc Licentium Romaniani filium S. Paulino commendat; necdum enim hujus juvenis animum a bonorum sensibilibus, & sæculi amore abstrahere poterat, atque non parum ob salutem ejus periculum angebatur, quod ex illa Epistola, quam paulo ante ad eum ipsam dederat, dispicimus. Cœterum dignissimus S. Augustini amicitia erat S. Paulinus; is illustrissima Romanorum familia ortus magna prædia in Aquitania possidebat, natusque erat Burdegala; quippe nobiles Romani plurimorum agrorum in Provinciis Domini erant, ubi nonnunquam versabantur. Igitur Paulinus, qui quandoque etiam Pontius, & Meropius dicitur, in discendis litteris Magistrum habuit celeberrimum Ausonium, quo docente ita profecit, ut sive prosa, sive versibus scriberet, ob stili elegantiam laudatissimis suæ ætatis Scriptoribus accenseri meruerit. Prima Republicæ munia obiit, ipsumque Consulatum, quamvis nomen ejus in fastis non legatur. Uxori ejus pares tanto marito divitiæ erant, nec quidquam terrenæ prosperitati deesse videbatur, nisi dulce parentum nomen; postquam diu liberos suscipere summis votis expetierant, tandem natus est eis filius, cum Compluti in Hispania morarentur, at ecce! vix octiduanus cessit e vita, eumque penes Marty-

*Ep. 26.*

*Uran. ep. init.*

*Auf. 20. init.*

Martyres inhumari curarunt. In hoc Sæculum IV.  
 rerum suarum statu, cum diu deliberas- A. C. 394.  
 sent, mundo valedicere, seque totos Deo  
 addicere statuerunt; uxor non modo non Paul. Pœm.  
 refragabatur, sed & animos marito ad- 15. sub fin.  
 debat. Ipse a S. Delfino, Episcopo Bur-  
 degalensi, annos natus circiter triginta  
 octo, baptizatus est, anno 392. unde se-  
 quitur, S. Augustino fuisse coætaneum,  
 atque circa annum 354. primo lucem a-  
 spexisse. Quia usque ad plenam vitæ  
 conversionem baptizari distulerat. Ac-  
 cepto Baptismo statim Monasticum in-  
 stitutum amplexus, in Hispaniam cum  
 Coniuge sua se contulit, quam exinde  
 non alio, quam fraterno affectu profecu-  
 tus est. Illustrissimi viri secessum volans  
 per orbem fama vulgavit; multi obscu-  
 rum vitæ genus vituperabant, atque in-  
 ter istos amicus ejus Ausonius, qui ob-  
 jurgabat, quod se virum a foemina regi  
 pateretur, jamque atra bile vexaretur;  
 At S. Paulinus Ausonio, versibus scriptis Auf. ep. 23.  
 se aggredienti, rescriptis versibus, ut o- 25. ad Auf.  
 portebat, respondit. ep. 3. Pœm.  
11. 12.

## §. LVI.

*Epistola S. Hieronymi ad S. Paulinum.*

Vigilantio, Ecclesiæ Barcenonensis Pres- Hier. ep. 13.  
 bytero, Hierosolymam proficiscenti, ad Paulin.  
 S. Paulinus Epistolam ad S. Hieronymum Paul. ep. 9.  
 ferendam dedit, qua eum de vitæ ratio- al. 28. ad Sev.  
 ne, Gennad. in  
Paul.